

## AD CENSURAM CAPITIS X.

De præceptis Iesu Christi in genere, deq; fide  
& penitentiâ seu Conversione ad Deum  
& capit. xj. de fide in I. Christum.

Quæcunq; capite hoc toto Decimo & magnâ parte capitis undecimi censentur, ea spectant dogma de *Fide & Justificatione*, quod *fundamentalem Reformationis articulum*, Censores vocant. Operæ pretium est ut id accuratè ventiletur, & quam fieri potest clarissimè exponatur: ut id fiat, non expendemus sectiones singulas. Multa enim morosè, ineptè & inutiliter forent repetenda, sed rem totam uno tenore pertractabimus, & oculis lectoris subiiciemus, ut quid de re tota statuant Remonstrantes, tantò melius perspiciatur, & quam sit inanis ac frivola, quæ in eorum Confessionem scripta est hac de re Censura, manifestum fiat.

Ac primò quidem, meritò suspectum videri debet, quod Censores, etiam si pag. cxli dicant, Remonstrantes in huius articuli declaratione *apertum bellum indixisse universæ Ecclesiæ Reformatae*, in fine tamen Censuræ suæ, ad Remonstrantium conclusionem, ubi accusationem hanc tanquam *princeps Censuræ suæ caput* repetere, & in memoriam lectori, ut tanto hæreret altius, revocare voluerant, istud aperte profiteri non audeant, ubiq; enim suum istud, *Videtur*, ingeminant, & conclusio tandem est, *Eos propiores Socino, quam Ecclesiæ Reformatae videri posse*; quæ locutio, quàm sit circumspecta ac sollicita, quis non videt? Neq; hoc tantum, sed addunt insuper: *Verum quidem esse, quod Remonstrantes quædam Socini interpolent & incrustent, verborumq; ambiguo & tegmine sese involvant, sed ita, ut cum ab eo videri volunt decedere, in eundem denuo recidant, adeoq; in peius proficiant.* Qua oratione satis testantur, Remonstrantium de hoc articulo sententiam, si verba spectes, orthodoxam, & à Socino diversam videri, vel saltem contrarium ex verbis eorum non liquere: Imò cum iis non tantum *verborum ambigua & tegmina atq; involucria* tribuant, sed etiam quod *Socini quædam interpolent atq; incrustent*, eo ipso fatentur, verba Remonstrantium, si nudè spectentur, & per suspiciones non detorqueantur, Socino neutiquam favere, adeoq; or-

Ostenditur  
Censores hæ-  
sitare & di-  
versimodè lo-  
qui, in adfig-  
nanda Remo-  
nstrantium sen-  
tentia in capi-  
tibus de Fide  
& justifica-  
tione.